

AD  
URBANUM VIII  
PONT. OPT. MAX.

Epistola  
GIBERTI COMITIS BORROMAEI

Qua

Sacris pedibus obvolutus consecrabat conclusiones  
suas

philosophicas, et theologicas nobilitas Poetae Vatum  
maximi celebri Distico super gemma veteri

BARBERINA

Quod etiam figuris illustribus expressum publicé  
Dedicabat

*ROMAE, Ex Typographia Iacobi Mascardi, MDCXXXIV.  
SUPERIORUM PERMISSU*

## URBANO VIII

PONT. OPT. MAX.

Mundi magistrum supplex aditurus, abs te uno Mortalium omnium Praeceptore, ac Principe (Beatissime Pater) accipere ausus sum argumentum, quod redderem, discipulus impar dictatis.

Schola etenim mihi est gemma familiae tuae vetus, qua gemmatum Rationale Iudicij, hoc est Supremi Sacerdotij Principatum iamdudum portendebat tibi.

Haec Apes expromtas habet tergeminas, Trinum atque unum tibi praefidens Numen referentes, et ut ità dicam triculmen potestatis Coelo, Terris, Ereboq; regnantis; quae telluris greminum aratro stimulantem in germina, messem Coeli etiam horreis dignam promittunt. Sed huius gemmae tam splendido lemmati paria lumina poeticae dictionis adscribere nemo poterat, nisi qui divinam Poesim ab heroicis usque vatum sacrorum temporibus oblitteratam revocati ad lucem unus tu ille Mosis ingens aemulus, ac Davidis.

Supremum, inquis, regimen, cultae sata iugera terrae,

Mellis opus, tria sic tres potiora notant

Cui ego Carmini ut succinerem muta poesi, editissimo in loco Regnis omnibus infrà se positis excubantem tranquillo supercilio Monarchiam statuto illam unicam, cui te parem hoc tempore ex universitate mortalium electio divina secundum propositum consecravit.

Et per eam quidem intentam rebus sacris ad dexteram, paternam Clementiam populis ex Caelibatu nascentibus per canonica iura dispensas, ad laevam autem iudicali terrore Iustitiae civilibus etiam adscriptum legibus prophanum genus aeternandum coniugijs moderaris. Sed ad laterum proiecturas eminent Regionum tuarum, ubertas, et Latij potissimum beatitas, quod tu depopulante omnem Italiam pestilentiae vastitate integrum tenes tuis, aemulatus sapientissima industria Supremam Numinis providentiam, quae gliscente olim per omnem Aegyptum famosa plagarum lue, unam terram Gessen populi sui Sedem, liberam à contagio servavit; Sed postremam Carminis dati partem servat limbus operis exprimens mellificum, cuius omnis suavitas è moribus tuis in communem salutem, & gloriam; Quae profecto salus, ac decor ità per hoc ipsum thema redundat in

propositas philosophicas, ac theologicas theses; ut graviores hasce veluti Musas meas carminis tui gloria tanquam Palladio peplo exornatas, sive potius lauro coronatas tua excipere possis iucundius, uti ego alacrius consecro supplicibus non magis ad osculandum pedibus, quam votis ad ediscendum semper, universo mecum genere mortalium condiscente.

Sacris pedibus obvolutus

*Gibertus Borromaeus*